

riora scripta prioribus non anteponerentur, imprimis cum de efficacia in sacris emendandis sermo instituatur.

§. IV. Rationes nempe haud leves hoc exigere videntur. (I.) Lutherus in densissimis Papatus tenebris praejudiciis & erroribus infinitis erat innutritus, quibus animo defixis, majorem, quam par erat, venerationem Pontifici, velut sanctissimo Patri, & summo Ecclesiarum Episcopo, deferebat, adeo, ut multa dogmata, verbo divino plane contraria, primis illuminationis annis, tantisper incautus, si non admitteret ac mitigaret, minimum tamen non oppugnando toleraret. Sic primis annis *Transubstantiationem* admisit, *missam superstitionem* haud abrogavit, *communionem sub utraque* pro re mere indifferenti, & Ecclesiae arbitrio subiecta, habuit, *Papam pro Anti-Christo* non agnovit, *Purgatorium* asseruit, & quae alia hujus generis erant, quae, cum illustriores divinae illuminationis radii mentem ejus collustrarent, omnia plane abjecit, imo serio detestatus, ac palinodiam honestam canere, erroresque suos retractare non veritus est.

§. V. (II.) Cum Lutherus ex erroribus ad divinae veritatis cognitionememergeret, factum hoc fuit non uno momento, sed successive & adhibitis gradibus. Ut enim ex Scriptura S. nunquam demonstrari poterit, illuminationem omnem non iterata vice, sed uno momento contingere, ita vix sperare debemus, Lutherum uno eodemque die, quo adversus Tezelium, Indulgentiarum Nundinatorem, theses emisit, adeo illuminatum fuisse, ut ex homine Pontificio evaderet in Doctorem Evangelicum ubique consummatum. Tantum enim hoc abest, ut potius constet, Lutherum in multis jam recte sensisse, ubi adhuc publice nihil ejusmodi tentaverat, quod ARNOLDVS in der Kirchen- und Ketzer-Historie l.c. §. II. ipse fatetur: Zu der Erkanntheit der Päpstlichen Irrthümer ist er freylich stufenweise gekommen, wie die Erzählungen